

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

Titelblatt

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

L V.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
SISTENS HISTORIAM
VULNERIS THORACICI
ET IN EAM COMMENTARIUM.

Quam Præside

JO. NICOL. PECHLINO, P. P. O.

Tuebatur

MUMMIUS LUDDENS,

EIDERSTAD. CIMBER.

Kiloniæ 24 Febr. anno 1682.

X x x 2



L V
D I S S E R T A T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A
S I S T E N S H I S T O R I A M
V U L N E R I S T H O R A C I C I
E T I N E A M C O M M E N T A R I U M

Quam Praeside
J O H A N N E P E C I L L I N O , P . R . O .

Tabularum
M U M M I U S L U D D E N S ,
P R O F E S S O R P U B L I C U S
P R O F E S S O R P U B L I C U S
P R O F E S S O R P U B L I C U S

X x x



HISTORIA

ARTICULUS I.

Juvenis Studiosus boni habitus, An. MDCLXXIX. Tertio No-
narum Maji, ipsa die Dominica, ne religio obstitisse credatur, inter
quintam & sextam thoracis costam, duorum pollicum transversorum in-
tervallo, ab osse sterni vulnus accepit exile atque angulosum.

COMMENTARIUS.

Circa vulnera, quæ pugnantes mutuo sibi inferunt, id quam maxime
mihi visum est rarum, ex tot tamque infestis plagis, plerasque innoxias
esse & minime lethales, plane, quasi e machina adesset DEUS, aut ic-
tuum moderator genius, quo in grave quidem, sed non protinus lethale
vulnus nocendi transfret libido. Vidimus vulnera per medios ventres adac-
ta, exeunte in averfam partem ferro, lethalia futura, si viscus attigissent,
nunc tamen innoxia; alia etiam ad ipsam partem nobilem, mammillam
sinistram, cordis dictum scrobiculum, inguina, collum venarumque gran-
diores truncos directa; quæ si paulo altius, & vel pilum latum, penetras-
sent, mortifera fuissent; nunc vero majus quid est, in ipsam partem no-
bilem ferri immitti aciem, & vitam vel trahi aut servari, non sine mira-
culi suspicione. Fuerunt, quibus cor vulneratum non nisi post aliquot die-
rum tædia mortem adtulit; alii etiam, ex vulnere pulmonum satis pro-
fundo, alii ex cerebri, ventriculi, intestinorum vesicæque vulnere con-
valuere, quasi majoribus illos, certe pœnitentiæ & agniti erroris gratiæ,
reservasset DEUS O. M. plerumque tamen, pudet dicere, successu tam
infido, ut illorum pauci, quos tantum non Orci faucibus divina manus
eripuerat, ad bonam mentem tot tamen antè ceremoniis religiosisque
verbis adjuratum, redierint, alii etiam exemplis istis commoti mortis
metum, quem in temerariis justum esse, & virum fortem decere ego qui-
dem opinor, posuerint, sed dispari fato; namque & optimos sæpe hausit
temeraria dextra, & male meritos ferrum vel non attingit, aut in vulnus
conjicit, periculosum quidem, sed non lethale; ne quis putet omnibus
eamdem esse fortunam & custodis Angeli felicitatem.

Notum est, plus inesse periculi plagis minoribus quam grandioribus,
si in cavitatem exeant; alias enim, ut ipsa magnitudo molestiam auget sa-
nationis, ita in plana superficie exile vulnus omni alio tutius. In profun-
dum euntis plagæ osculum, nisi ex debito amplum sit & pateat, ma-
nus adhibenda & turundis inditis oræ destinandæ, quo latentis in fundo
materie tutior sit eruptio.

X x x 3

ARTIC.

